

B. h. II. St.

h. 8, 8.

X 1880777

II k  
4444

DISCURSUS JURIS PUBLICI

*DE*

# GERMANICÆ NATIONIS IN HODIERNO IMPERII ROMANI STATU PRÆ- EMINENTIA

*Quem*

OPE ET FAVORE DIVINO ADSISTENTE,

*&*

permissu ac potestate concessâ

A MAGNIFICO JICTORUM ORDINE IN  
INCLUTA AD SALAM ACADEMIA  
sub PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI  
ATQVE EXCELLENTISSIMI

## DN. JOHANNIS STRAUCHII

JCTi, & P.P. longe celeberrimi, Consiliarii Saxonici, Scabinatus  
ac Curiæ Provincialis Assessoris gravissimi.

DN. Patroni Promotoris ac Præceptoris mei singulari  
reverentie cultu religiose colendi,

Publico Eruditorum Examini ventilandum propono

## MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS,

Witt. Saxo. AUTHOR.

In Auditorio Jictornm.  
ad d. Augusti

---

*J E N Æ,*  
Literis SAMUELIS KREBSIL.  
Anno M. DC. LIX.





I. N. D. N. J. C.

PRÆLOQUIUM,

**T**am longinquum, tam impeditum, inque tam varia scissum diverticula ad Jurisprudentiæ Arcem est Iter, ut Nemo, nisi improbissimis, quibus objicitur, difficultibus nunquam cedendo, aspera omnia ac dura alacriter pervadat, ad eam adspirare possit. Siquidem cavendum primò & diligenter dispiciendum est, quæ via ipsi ingrediunda sit, nè diverticulis deceptus, erroribusque implicitus vel nunquam vel tardius ad eam perveniat. Et quamvis aliquis devoratis tandem viriliter omnibus molestiis se eò pervenisse gloriari possit, nova tamen subinde emergit cura. In tam edita enim & sublimi rupe posita est Jurisprudentiæ Arx, ut multi eò levare oculos ac tollere aut timeant, aut minus valeant. Adeoque eam ascensurus arctissimis semitis per confragosa & aspera niti necesse habet, quo tandem conspetum non solum, sed ipsam etiam ejusdem possessionem sibi promittere queat. Quod ut eò facilius fieri possit, omnes ambages vitare, & per duas istas in ipso aditu collocatas scalas, quarum una alteri superimposita & quasi adglutinata est, JUS PVBLICUM scilicet & JUS PRIVATUM ascendere convenit. Istâ enim Scansili legе procedens infallibilem concipere potest fiduciam, se confessim Jurisprudentiæ Arcem occupaturum esse.

A 2

Modò

Modò utriusque auxilio in ascensione utatur. Aliás si per unam saltem ascenderit, vix in mediō constitutus nondum fastigium ipsum ac culmen aggressus est. Quo circa juri privato qui incumbendum unicè ac invigilandum existimant, semetipsos perdunt pariter & alios fallunt. Ad Jurisperiti etenim munus inter cœtera & hoc pertinere, ut Reipubl: proram ac puppim regere sciat, ut præsentem Regiminis statum & conditionem benè probeque cognitam habeat, ut legationibus, conventibus aliisque actibus publicis dignè satis interesse possit, in apricō positum est. Quæ sicut ex iure privatò hauriri nequeunt; ita huic soli suam impendens ætatem, ea omnia sibi ipsi polliceri nequit. Multò minus, se ipsam Jurisprudentiæ Arcem occupasse gloriari potest, cum in mediō quiescens nondum in summum evasit. Cum itaque meus quoque Labor eum unice scopum sibi habeat præfixum, ut mihi etiam aliquando Jurisprudentiæ Arcem ascendere liceat, ideoque præsentis temporis rationem præcipere nunquam non existimavi, ut aliquam saltem ætatis meæ partem Juris publici cognitioni consecrarem. Mihi autem privatâ meditatione præclarissimas ejusdem materias penitus introspicienti nostra omnium Patria *Germania* reliquas omnes supereminens se aspectandam præbet. Unde ejusdem potentia non tantùm, sed in ipso etiam hodiernò IMPERII ROMANI statu præminentia admiratione captus defixusque, de illâ, quantum ingenii mei imbecillitas permisit, hanc dissertationem intra privatos parietes conscribere conatus sum. Protectorem interim *Germania* nostræ omnipotentem ardentibus suspiriis oro rogitoque, ut cæpta mea provehere feliciter ac secundare dignetur. Sit itaque

TH. I.

Nusitatæ istæ ac insignes victoriæ, quas  
Germani olim prostratis penitus ac deletis  
immanissimorum etiam Hostium viribus re-  
portarunt, perpetuis laudibus perennitati  
temporum à multis retrò seculis consecratæ sunt. Adeò,  
ut Annales libros scrutantes & memorias temporum  
volventes nullam propè gentem inveniant, quę majorem  
toti Terrarum Orbi terrorem incusserit, quām Germani-  
cam. Quod ipsum omnes penè populi optimè re-  
cogitantes, summam felicitatem, si ipsis cùm Germanis  
societatis amicæ commercia colere licuisset, judicarunt.  
**Comprobante** hoc ipsum Tacitō Scriptorum fide dignissi-  
mō, dum Tencteros ad Ubios Legatos misisse testatur,  
qui hos hōc modō affati sunt. *Redisse vos in Corpus no-*  
*mēnḡ Germaniæ communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti*  
*gratias agimus: vobisq̄ gratulamur, quod tandem liberi inter*  
*liberos eritis.* Unde etiam Romani, quamvis felicissimi  
Gentium Victores ex stitissent, & arma sua longè lateq̄ue  
circumtulissent, à Germanis tamen sæpiissimè & acerrimè  
divexati, cœsi, fusi sunt. Famâ tandem eorum per  
totū Mundum felicissimō cursu lata abolendæ magis  
infamiae ob amissorūm recuperationem, quām profe-  
rendi Imperii cupidine, aut obdigni satis præmii exspecta-  
tionem arma contra ipsos concitata sunt.

II. Non itaque fundamentō planè ac ratione destituti  
sunt, qui vocabulum *Germanus* pro merâ Tevtonica  
dictione habent, & à Gar & Mann vel Gern & Man con-  
flatam existimant. Quasi vel nihil in ipsis, nisi quod  
virilitatem quandam ac animi magnitudinem præse fe-  
rat, reperiatur, vel, quod contra acerrimum etiam Pa-  
triæ suæ hostem signa attollere & manus conferre semper

Tacit. l. 4.  
histor. p. m.

Tacitus de  
moribus

Germ: p.m.  
648.

Id: Annal:  
l. 1. p. m. 3.

Arum: de  
jure publ.

Col. 5. desc.

z. p. m. 70:

Linnæus  
de l. P. l. l.

c. 6. Reink.  
de R. S. &

E. l. cl. d. 3.

c. 4. n. 7. p.

paratissimi existant. Sicut Alemanni, à quibus Imperator Justinianus ob victoriam ab iis relatam, se Alemannicum appellat, etiam derivari solent ab Ali & Man. Differunt utrique in eō saltem, quod hi Tevtones superiores, illi verò Inferiores fuerint. Utrumque tamen vocabulum Gentem prorsq; virilem denotat. Hinc ortum est Vetus istud dictionem: Wer in Krieg will Unglück han/der fang es nur mit den Deutschen an.

III. Germani igitur tām invicta animi alacritate & singulari quadam fortitudine præditi aggredi non tantum maximi momenti audebant Rem, sed confidere etiam patrareq; feliciter poterant. Quā enim ratione Imperium Romanum ad Germanos devolutum est, ut ad hodierna usque tempora apud eos remanserit? Præcipuam judico causam bellicas Eorum Virtutes & nunquam satis deprædicanda facinora. Quæ omnia, ut eō magis Germanorum præminentiam augeant, si paucissimis attingam, & ab ovō, ut loquuntur, repetam, me minime operam lusurum esse existimo.

IV. Nemini igitur, nisi Historiarum ac Juris plane ignaro ignotus esse potest Incomparabilis iste & excelsæ memoriæ Heros Narses, quō unā cum Bellisariō tanquam rerum bellicarum peritissimis Ducibus ad Barbaricas Gentes sub potestatem suam redigendas Justinianus Imperator usus est. Ille, cum ob aliorum invidiam, cui propter potentiam & gloriam ex multis victoriis acquisitam expositus erat, apud Justinum II in sinistram suspicionem venisset, ex Italiā redire jussus est. Quā injuriā R. Mycral.  
Synt. hist. Narses dictus ita irritatus est ac lacestitus, ut tales se velle  
pol. L. 2. sect. texere telam dixerit, quæ ægrè possit dissolvi. Alboinum  
4. q. 18. p. igitur Longobardorum Regem ex Pannoniā in Italiam  
m. 446. evocat, eique ope suā & consiliis tām firma fulcra supposuit,

suit, ut 200. amplius annis Imperium Longobardicūm in Italiā floruerit. Imperatores enim, qui tunc temporis in Oriente summae Rerūm præerant, Exarchis etiam à Longobardis captis, Italiam tanquam vacuam possessionem relinquere coacti sunt. Romani igitur extra omnem solatii fiduciam deserti hisce miseriis ac calamitatibus diutius conflictari nolebant. Auxilium oxinde primūm Piplini & cō mortuō Caroli M. implorarunt, ut Dominum Longobardorum frangendo, ipsos ex mediis tristissimi fati faucibus eripiat. Petitis hisce Carolus deferens in Italiam progreditur, & deturbatis non saltem ac pulsis Longobardis, sed ipso etiam eorum Rege Desiderio captō totam Italiam sub Germanorūm potestatem felicissimē rededit.

V. Reliquos duos Titulos, quibus, legitimō ac quasi divinitus concessō modo Germani in Italiā Imperium adepti sunt, si adjungamus, magisque ac magis eorum prærogativa crescere videtur. Etsi enim bellica acquisitio, quā illa, quæ ita acquiruntur, victori cedunt, hīc omnino suffecisset, suffragium tamen non tantum, electio ac voluntas S. P. Q. R. sed ipse etiam Imperatorum in Orien-  
te Constantinopolitanorum Consensus & approbatio Ro-  
mani Imperii Majestatem in Germanos derivavit. Popu-  
lus enim Romanus ignominiae ac probri notam sibi inuri  
existimavit, si acceptā hāc occasionis opportunitate ab Irene, tunc temporis, excæcatō filiō Constantinō Con-  
stantinopoli Imperatrice, tanquam Muliere, publicorum aliás munera incapace, ulterius se regipateretur. Po-  
pulus igitur prædictis instigatus in Carolum Magnum Impe-  
rium transtulit & sequenti faustā acclamatiōne permanens  
Leonis III. Pontificis Coronam Imperialeм ipsi imposu-  
it. *Carolo Augusto à Deo Coronato Magno & pacifico Imper- ratori*

*l. 24. ff. da  
capitv. &  
postl. rev.  
§. 17.  
Inst. de R.  
D.*

*Dan. Otto  
de l. P. c. 5.  
p. m. 88.*

*l. 2. ff. da*

*R. L.*

*ratori Romanorum vita & victoria.* Cum denique Imperatores Constantinopolitani ob loca admodum diffita, bellis etiam intestinis & externis mirificè defatigati Italiam amplius succurrere non possent, pax ac fædus sempiternum inter Carolum Magnum & Nicephorum, Irene Augustam expulsâ Imperium tenentem, iustum est, ut ille in Occidente, hic in Oriente Imperii habendas regeret. Ulterque Augustus, Imperator, Fraterq; Orientis Alter, Alter Occidentis vocitarentur. Quocirca quilibet in propatulo videt, quâ ratione Germani præminentiam istam, quâ adhuc hodiè omnibus Nationibus antecellunt, in Imperio Romano adepti sint.

*VI.* Verum ut umbra in sole ambulantes, sic invidia virtutem perpetuò comitatur. Pontificii scilicet Papæ adulantes, ut *Bellarminus* ejusque Affectæ sibi potius hunc honorem ac gloriam attribuere conantur, dum translationem Imperii à Græcis ad Germanos non virtute belli-  
*Mag. Dn.* ca, neque consensu Populi Romani, nec transactione *Carpz. de l.* Imperatoris Constantinopolitani, sed jussu tantum, Au-  
*R. n. 17. p.* thoritate, & confirmatione LEONIS III. Pontificis in  
*m. 83.* personâ *Caroli M.* factam esse asserere non verentur.

*VII.* Sed ventosissimis hisce ac ineptissimis persuasibibus propriis manibus sibi ipsis maculam inurunt, & omnium qui paulò limatioris sunt judicii & remoti ab Affectibus animi cachinnis sponte se exponunt. Nonnè enim recordantur Isti Adulatores Papam tanquam Christi Vicarium hanc potestatem neque de jure neque etiam de factò tunc temporis sibi arrogare potuisse. Unde enim habet mandatum de transferendis Imperiis & creandis Regibus? Ostendant illud Papicolaæ, alias ipsis non creduntur, quamvis etiam in summâ honoris & dignitatis Apice

*Reink. de R.*  
*S. & E. l. 1.*  
*sl. 2 c. 3. n. 19.*  
*& seq. p. m.*  
*s. t.*  
*l. 1. c. de*  
*mandat.*  
*Princ.*

sint

Sint constituti. Æterno forsan oblivionis sepulchro recon-  
derunt, Salvatorem ipsum, cuius Vicarium se Papa jacti-  
tat, Cæsaris potestati non tantum subjectum fuisse, sed  
etiam censum ipsi dare jussisse. Quomodo etiam Vicari-  
us illud sibi attribuere potest, quod Principalis ipsius se-  
verè inhibuit? Christus enim Petro, cuius successorem  
Papa se nominat, & Apostolis seculare Imperium expressè  
prohibuit, & Regibus Gentium largiter concessit. Unde  
igitur ipse Papa *Leo III.* hanc potestatem Imperium Ro-  
manum ad Germanos transferendi accepit? Nefaria ista  
ac intolerabilis ambitio si paulò accuratius calculum  
ponamus, causa est, quā ita pontifex aucta potentia infla-  
ri cœpit, ut sibi absolutum in omnes Terrarum Principes  
Imperium arrogare & ad oscula suorum pedum adigere  
nunquam vereatur.

*VIII.* Neque etiam de factō tunc temporis ipsi illud  
efficere possibile erat, cum Italia à Longobardis obfessa,  
& ipse *Leo* à Romanis gravi injuriâ affectus fuerit. Armis  
igitur & virtute bellicâ ad profligandos Longobardos &  
occupandam rursus Italia opus erat. Id quod *Carolus M.*  
Germanicâ fretus constantiâ, voluntate populi Romani,  
laude nunquam intermoriturâ, ad felicem perduxit exi-  
tum, solis Germanis hanc prærogativam ac gloriam re-  
linquendo.

*IX.* Galli quoque teste *Bodino Germanici Nominis*  
hoste infensisimo, Pontificiorum exemplum æmulati  
Germanis tantum decus invident, & virulentis manibus,  
ex alio tamen fundamento, ipsis eripere conantur. *Ca-*  
*roolum M.* scilicet in Galliâ natum, lingua etiam ac moribus  
& institutis Gallorum unâ cùm Majoribus educatum fu-  
isse opinantur. Verum seipso decipiunt, & alios quo-  
que in eosdem erroris laqueos inducere omni nisu con-

B

tendunt,

*Matth. 22.  
vers. 21.*

*Matth. 20.  
v. 25. Luca  
22. v. 26.*

*Lemmag. de  
r. P. L. 2. c. 5.*

*Bodinus  
meth. hist.*



tendunt. Etsi enim largiamur, *Pipinum Caroli M. Patrem*,  
*B. Mycrat.* Childerico Rege quem sic vocabant, Stupitō in Monaste-  
d. l. p. m. rium attonso, in Regem Galliæ à Proceribus electum esse,  
485. *l. i. ff.* ad in ejusmodi tamen controversiis ante omnia ad locum  
*Municipal.* nativitatis respiciendum esse jura docent. Quis itaque  
Historicorum Carolum in Galliâ natum esse afferere ve-  
lit? Cum unanimi ferè consensu ipsum in pago quodam  
seu villâ *Ingelheim* duobus millibus passuum à Moguntia-  
no distante primum spiritum hausisse statuant. (Quamvis  
*Aventinus* testante *B. Mycrat*io dissentiat & eum in Thyrin-  
giâ & Saxonîæ confinibus conceptum, Caroloburgi au-  
tem in Bavariâ natum esse existimet.)

X. Etsi igitur Pontificii vel Galli immensa etiam argu-  
mentorum, quibus se suffultos atque instructos esse per-  
suasum habent, plastra in Germanos exonerarent,  
nunquam tamen iis obtinebunt, ut ipsis tantam dignita-  
tem tantamque præminentiam subtrahere possint.  
Summo potius decori ac immortalis gloriæ sibi ducat Ger-  
manica Natio, Imperium Romanum hodieque non ab-  
solutè Romanum, sed Romano-Germanicum, das Heilige  
Römische Reich Deutscher Nation, appellari solere.

XI. Hactenus satis superque probatum est, quâ ratione  
Imperium Romanum ad Germanos devolutum & ab iis  
denominatum sit. Imperatorem quoque seu Caput  
Imperii Romani si consideramus, nemo non in proclivi  
videre potest, quantum Germanica Natio omnes alias  
nationes in Imperio Romanò superemineat. Nullus  
enim aliis quam Natione Germanus ad ejusdem fastigi-  
um anhelare ac Romanæ Aquilæ plumis se exornare po-  
test. Exteris equidem omnibus ad tantum tanti Impe-  
rii decus via est præclusa. Etsi autem de arcendis iisdem  
nulla expressa in *Aureâ Bullâ* reperiatur dispositio, ante  
eam

**Cuspinian:**  
**in vita Ott.**  
**III. Buxt.**  
**ad A. B.**  
**conclus. 31.**  
**lit. D.**  
**I. 32. ff. de**  
**LL.**

eam tamen Otto III. Imperator speciali lege cavit, nè ulli nisi Germano scepta Imperii committantur. Cùm quâ vetutissima Germaniæ Consuetudo, quæ tantam vim habet, quantam expressæ leges & sanctiones habere solent, correspondere videtur. Nec justitiæ æquitatisque leges aliud permittunt. Cum enim nunquam satis deprædicandâ Germanorum virtute in personâ Caroli M. ad Germanicam Nationem translatum sit Imperium, indignum sanè & improbum esset, alienigenam ad tanti Imperii culmen evehere, & ita priscæ ac heroicæ Germanorum virtuti, quâ omnes Nationes ac populos supergressi longissimè sunt, temerè aliquid detrahere.

XII. Solenni auctoramento se obligat Elector Moguntinus, quod idoneum Imperatorem eligere velit. Non itaque video, unde ad regendam Reipubl. Navim magis idoneum, & ad communes Imperii hostes disturbando longè ac prorsus evertendos aptiorem, quam ex Germaniâ Terrarum Reginâ & strenuâ omnium virtutum Cultrice accipere liceat. Verissimè enim Poetarum Intelligentissimus Flaccus canit:

Fortes creantur fortibus & bonis  
Est in juvencis, est in equis patrum.  
Virtus, nec imbellem feroceſ  
progenerant Aquilæ columbam.

Parta videlicet Majoribus Gloria, & insitus Vigor, velut secunda aura quædam ex Germanicâ Gente oriundum levare quasi subinde ac tollere potest. Ult hac ratione ipsi calcarij & vehementiores quasi stimuli subjiciantur ad æmulanda Majorum Exempla. Cum enim respicit in Gentem ac Majores suos, unde ortum suum traxit, tot tantasque Eorum virtutes ac præclarissima facinora, quibus famam & nomina sua omnium seculorum memoriæ

in scripserunt, recensendo, facile intelligit, quò contendendum sibi assiduè & in quò ponenda ipsi opera cùm primis ac studium, si sequi velleret.

XIII. Neque etiam ulla ad extraneum admittendum  
svadet Ratio, vel urget Necessitas. Cum vel invidia ipsa  
inficias ire nequeat, nullibi illustriores, quàm in Germania,  
Principum prosapias inveniri. Id quod Elector  
<sup>Sieci. deft. at.</sup> Trevirensis in præsenti Colectorum inter cætera sapien-  
<sup>Relig. l. 1.</sup> tissimè monuit: *Euit, inquiens, semper illustre Germania*  
<sup>P.m. 15.</sup> *Principum Nomen & fama celebris: ea nondum est extincta,*  
sed viget incolumis, & sunt inter alias, Germania & tres hodie  
familia, *Bavarica, Saxonica, Brandenburgica:* sunt in illis  
nonnulli præstantes Viri. Si quem igitur ex illis rerum summa  
præficiemus, & nostris copiis adjuvabimus, ut certè debemus,  
non est quod exterios metuamus: modo idem sentiamus & ve-  
limus omnes, in tutō Reserit. Omissis ergò peregrinis è me-  
diò nostrorum hominum cætu quempiam deligamus: non deerit  
successus, & sunt Testimonia multa domestica nostrorum Vir-  
tutis.

XIV. Nec bonum commune ac salus publica aliud  
exigere videtur. Etsi enim Extraneus quoque interdum  
Reipubl. benè præesse, eamque laudabiliter gubernare  
possit, ingenio tamen, lingua, moribus omnino alienus  
est, ut eam benevolentiam subditis exhibere nequeat, ac si  
esset Indigena. Quantum enim consuetudinis sit im-  
perium, quantique emolumenti res sit, si Princeps po-  
puli, cui regendo tanquam caput præponitur, mores  
optimè cognitos habeat, seque illis assuefecerit, experi-  
entia docet. Quod sanè de eo, qui ex Germanicâ Na-  
tione oriundus est, summò jure pronunciari potest,  
quippe qui ipsam linguam, mores & magnanimum illum  
ac generosum spiritum ab incunabulis quasi hausit.

Quan-



Quantum econtra malorum ex eâ Re , si Extraneus ad  
Reipubl. Romanæ clavum ad mitteretur in hanc & subdi-  
tos omnes redundaturum sit, in apricō positum est. Sæ-  
piissimè enim larga hōc modō ad dissensionem , seditio-  
nem ac turbas non sine manifesto quietis publicæ detri-  
mento, se offerret occasio , si extraneus adscitus , Impe-  
rium ad se delatum fortunasque suas defendendi causa ,  
alienos & extraneos milites & copias adduxerit , quarum  
præsidio se munire possit. Et si forsan hi deinceps singu-  
laribus beneficiis atque honoribus ab eō condecorati fu-  
erint, acerbissimam ipse invidiam ac odium subditorum  
in se concitat.

XV. Quæ omnia accuratissimā perpendens trutinā  
Elector Moguntinus, *satius esse*, expressè dicebat nostræ  
*Gentis aliquem creari, qui sit idoneus exemplō Majorum, qui*  
*sæpè præteritis externis, contenti fuerunt indigenis. Saluberri-*  
*mum sanè Consilium. Cavendum enim & omni ope con-*  
*tendendum nè decus Imperii ad exterros transferatur.*  
*Metuendum aliàs valdè esset, si extraneus gubernacula*  
*Imperii teneat, ut ipse erexitis Electorum suffragiis digni-*  
*tatem Imperii familiæ suæ perpetuam conservare allabo-*  
*ret, sicut Elector Maguntinus de Hispanis suspicatus est.*

XVI. Minimè igitur improbandus, sed collaudandus  
potius est mos hactenus observatus, quò Electores fami-  
liam Austriacam ultra 160. annos quoad actum Electionis  
non sunt egressi. *Quicquid etiam Bodinus more solitō,*  
*hīc iterum prætendendum habeat. Imperium scilicet*  
*Germanorum in Gente Austria rerum gestarum gloriā clarissi-*  
*mātām alter radices egisse, ut ejus evellendi vix spes aliqua vi-*  
*deatur. Propterea enim nec libertati Electionis, quam*  
*Electores habent liberrimam, aliquid detrahitur, nec*  
*domui Austriacæ ullum aliquod jus exinde accrescit. Ele-*

Etio enim & judicium Electorum", non vero familiæ Electorem constituit. Neque etiam ista ratio tanti momenti est, ut Imperium Romano Germanicum successorum esse evincat. Propter potentiam enim, honorem, benè merita Antecessorum, & quia familiæ istius Regna sunt veluti murus aliquis pro salute totius Germaniae oppositus immanitati Turcicæ, nisi prægnante causa & urgentissima necessitate Electores eam derelinquere nolunt.

sle. l. 7. de  
Statu relig  
in fin. p.m.  
222.

XVII. Imprimis quoniam summâ cautione & gravissimâ deliberatione, nè electioni liberæ quisquam præjudicare existimet, illud Capitulationis membrum adinventum est, in quod Electi Imperatores hōc modō jurant: Und insonderheit sollen und wollen Wir keiner Succession oder Erbschafft / des obgemelten Römischen Reichs anmassen/ unterwinden/ noch in solcher Gestalt unterziehen/ oder darnach trachten/ auff uns selbst/ unsere Erben und Nachkommen/ oder auff iemand anders unterstehen zu wenden/ sondern Wir/ dergleichen unsere Kinder/ Erben und Nachkommen/wollen die gemelte Churfürsten/ Ihre Erben und Nachkommen / zu ieglicher Zeit bey Ihrer freyen Wahl eines Römischen Königs: Dieselben so oft sie es einem Keyser zu Behülff/ oder sonst dem heiligen Reich möglich und nothwendig befinden/ auch bey Lebzeiten eines Römischen Keyzers/ mit oder wenn derselbe auff angelangete Bitt der Churfürsten/ ohne gnugsaßme erhebliche Ursachen verweigert werden soll/ ohne eines regierenden Keyzers Bewilligung vorzunehmen / Auch die Vicarien wie vor alters her auff sie kommen/ die guldene Bull/ Bapstliche Recht/ und andere Gesetz und Freyheiten vermögen/ so es zu fallen kommt/ und die Nothdurst und Gelegenheit erfordern und bey ihren

ihren gesondern Rath / in Sachen das heilige Reich bes-  
langend geruhiglich bleiben und ganz unbeträngt lassen. etc.

XVIII. Accedit his quod in Regno Electivō quoq; Agna-  
ti ipsius defuncti proximi in considerationem quoad  
electionem venire soleant, ex hoc tamen illud non ampli-  
us electivum esse, sinistrè concluditur. Quod in poten-  
tissimis etiam Regnis usu venire solet. Quis enim infi-  
cias ire potest, Danorum ac Polonorum Regnum Electi-  
tūm esse? Nihilominus tamen Regum filios vel Agnatos  
præferre solent, certissimè persuasi, eos, ut cœterorum  
bonorum, sic quoque paternæ virtutis hæredes ac suc-  
cessores esse futuros. Si tamen continget, ut Electo-  
res familiam Austriacam relinquenti gravidas habeant  
causas, & in aliâ aliquâ familiâ ad imperandum aptiorem  
inveniant, illum in solium Imperiale votis suis sublimare  
non vetantur, modo ex Germanicâ natione originem  
suam duxerit, vel Germanicis parentibus natus fuerit.

XIX. Neque enim adeò strictè requiritur, ut in Im-  
peratorem eligendus intra limites Germaniæ primam  
aspexerit lucem, sed sufficit si Patre vel Avô paternô Ger-  
manicô, licet extta Germaniam, natus fuerit. Sicut alias  
etiam Filius Civitatem, ex quâ Pater ejus originem duxit,  
non domicilium sequi solet, nec tam locus, in quô  
quis nascitur, inspicitur, quam personæ, ex quibus na-  
scitur. Quæ non tantum in Patre sed etiam in Avô pa-  
ternô locum habent. Sic Fridericus II. Imperator, etsi  
in Siciliâ ortum suum duxerit, quia tamen Henrico VI.  
Imperatore, Germanô natus erat, rectè ad Imperii Cul-  
men evectus est. Ita etiam Ferdinandus I. in Hispaniâ  
prognatus est, propter Avum tamen Paternum Germa-  
num Maximilianum I, quem natus erat, in Imperatorum  
numerum jure electus & adscitus est.

XX. Re-

*Mag. Dn.*

*Carpz. de*

*L.R. c. II. p.*

*213.*

*l. 6. §. 1. ff.*

*ad munici.*

*l. 3. C. de*

*Municip.*

*& Olig.*

*Reink. de R*

*s. & E. l. r.*

*cl. 3. c. 4.*

*n. 13. p. 114.*

*114.*

*Tholos. 7. de  
Republ. c. 15  
n. 18.*

**XX.** Rejicienda igitur penitus ac explodenda est Gallorum opinio, quâ Reges suos ad Imperii Romani culmen evehî posse sibi persuadere amarunt, moti ex eâ non tantum, quod Reges Galliæ sint ex stirpe *Caroli M.* atque ita eandem cum Germanis originem nacti sint. Quâ argumento etiam Legati Gallici ad recommendandum Elektoribus Regem suum Franciscum usi sunt, sed etiam quod Elector Trevirensis se appellitet Cancellarium Galliæ, sicut Moguntinus per Germaniam & Coloniensis per Italiam Cancellarii vicem obtinent. Jus ergò quoddam in electione Regibus suis affingere vel attribuere conantur.

*Sleid. de  
statu Relig  
l. 1. p. m. 14*

*P. Heigius.  
l. 2. q. 5. n.  
37.*

*Arum. de l.  
P. d. p. m.  
127.*

*Slei. de statu  
Relig. l. 1.  
p. m. 12.*

**XXI.** Verum etsi lubens concedam, Gallos à Germanis originem duxisse, extra omnem tamen dubitationis aleam positum est, illos ortus sui oblitos & succo languienteque Gallicô imbutos naturam Germanorum prorsus exuisse. Adeò ut hodiè pro extraneis penitus sint habendi. Sicut igitur ipsi Galli peculiarem aliquam legem, quam Salicam vocant, & firmissimum Regni Gallici fundamentum judicant, sanctivere, quâ ita extraneis omnem ad Regnum Eorum spem ademerunt, ut etiam fæminas & descendentes ex iis excludere maluerint; Ita quoque Germanis hæc lex quasi fundamentalis posita est, ne decus Imperii ad Alienigenas transferatur, ut vigente è Imperium in gente Germanicâ floreat, è vero semel neglectâ concidat paulatim necesse sit. Sapientissimè igitur & affectu in Germanicam Nationem planè paternô Moguntinus Regem Galliæ eligendum esse cæteris Coelectoribus, & quidem imprimis Electori Saxoniz, cuius per magna semper, Teste *Sleidanô*, erat auctoritas, dissuasit, inter cætera hæc adducens verba: *Gallum quod attinet, legibus nostris & jure jurando nos arbitror impediri, quibus*

644-



*cautum est, nè decus Imperii transferatur ad exterros, quin au-  
tem peregrinus ille sit Princeps, nulli dubium esse puto.*

**XXII.** Cæterum non sufficit Caput Imperii Romani  
ortum suum ex Germaniâ trahere oportere, sed in eô eti-  
am singularis Nationis Germanicæ præminentia & digni-  
tas superfluè elucet, quod Electores quoque Caput istud  
constituentes ejusdem Nationis esse debeant. Cum enim  
perpetuâ & in Hæredes transitoriâ gaudeant dignitate,  
non potest non propter continuam successionem Impe-  
rator à Principibus ex Germaniâ oriundis eligi. Hinc  
ista maximè ardua & inter Doctores Juris publici exagita-  
tissima suboritur quæstio: *An Rex Bohemiæ ad actum Electro-  
ralem sit vocandus?* Minus rectè sentire videntur, qui hoc  
ipsum in dubium vocare, & jus eligendi ipsi Regi Bohemiæ  
temerè denegare haud erubescunt. Cum in *Aureâ Bullâ* A.B.tit. 4.  
ei non modò illud expressè concessum sit, sed etiam con-  
stitutione Ruperti Vicarii & Rudolphi I. disertè confir-  
matum. Nomine autem & privilegio eligendi concessò  
ipsum quoque officium, quod iis indigitatur, conceda-  
tur necesse est. Verba enim absque effectu non sunt in-  
telligenda. Hinc illud *Ladislaus Rex Bohemiæ ægrè*  
*admodum tulit, quod in Electione Maximiliani I. præ-*  
*tergressus fuerit, adeò ut arma etiam se illaturum mina-  
tus sit, nisi pacto & transactione, Eum imposterum nun-  
quam prætereundi, sub pænâ 500. Marcarum Auri inter-  
positâ ea res decisa fuisset. Neque alio colore præter-  
gressum prætexere poterant Electores, quam quod pro-  
pter urgentes & maximè necessarias causas ad subitariam  
Electiōnē convolare necesse habebant.*

**XXIII.** Nihilominus tamen inter Germanos etiam  
scriptores contrariæ & negativæ sententiæ suffragatores  
inveniuntur, inter cætera hanc urgentes rationem, Bohe-  
mia

*Limn. de t.  
P. L. L. c. s. n.*

*¶ 7.  
Bertr. de  
Comitiis. n.  
31. apud A-  
rum: vol. I.  
dis. 9. p. m.  
46.*

*l. 1. §. 1. ff.  
quod quis-  
que jur. in  
alterum. l.  
5. §. 2. ff. ne  
quis euui  
qui in jus  
vocatus.*

*P. de Andlo  
de Imp.  
Rom. l. 2. q.  
2. Crantz.*

C

mia



*l. 8. Saxon.* miæ Regem Pincernæ quidem officio fungi, sed non elicitati agere, quia non est Tevtonicus, *Der Schenck des Reichs Bertram.* hat keine Wahl / darumb daß er nicht teutsch ist. Verum d. l. lib. 3. *Land.* quamvis Bohemi quā Bohemi sclavonicō utantur sermo recht c. 57. ne, Bohemia tamen Germaniæ portio esse non desinit, cum lubrica hæc sit ratio & falsum enunciatum, Bohemi non loquuntur Germanicè, Ergò Rex Bohemiæ non est Elector, secundum judicium Limnæi. Sufficit enim si ipse sit sub Imperiō Germanicō, & Imperatorem tanquam Dominum Feudi agnoscat, & juramento fidelitatis ipsi obstrictus sit. Id quod clarissinè demonstrat exemplum Ottocari, qui in genua procidens admirantibus etiam Bohemis Rudolpho I. Imperatori homagium præstítit. Quam etiam Bohemiam ad Germaniam pertinere ex superfluō mores non tantum, quibus utuntur, Tevtonici, satis superque probent, sed etiam, quod populis Germanicis undique circum septa & cincta est. Quibus accedit, quod etiam in aliquibus templis tevtonicè concionetur. Manet igitur verissimum, Regem Bohemiæ ad actum Electoralem & quidem semper vocandum esse, non secus ac cæteros Electores, in primis quia ipse non modò primum inter Electores seculares obtinet locum, sed etiam multa singularia, egregia privilegia & prærogativæ præ cæteris Electoribus ipsi concessa sunt, quas hic recitare neque propositi, neque temporis ratio ex postulat.

*XXIV.* Ex prædictis οφθαλμοφαιρεωσ patescit, quantam gloriam, quantamque præminentiam sola Germanica Natio in hodiernō imperii Romani statu, quoad electionem summi totius imperii capitis sibi vindicare ac appropriare possit. Ulterius si progrediar, & ipsos etiam Officiales, quorū humeris primaria & principalia in imperio officia sunt imposta, penitus considerem, nullos

ullos alios quām Germanos ad hāc evehendos esse inve-  
steid.l.1.de  
nio. Nec immeritò. Cum enim summus Magistratus statu Relig  
crescente magis ac magis Republ. & litium multitudine p.m. 17.  
omnia expedire nequeat, necesse est, ut tales, qui vicem  
ipsius in judicando sustineant, saluberrima consilia sub-  
ministrent, atque ea, quæ ad salutem publicam ac com-  
munem faciunt, nunquam cessante curā perpetuò ob-  
servent, constituat. Alias enim, si Respubl. ignaris  
regenda conceditur, omnia pessum ire & detimenta ubi-  
que ac damna irrumpere oportet. Quibus Imperator  
Romanus virilius ac melius succurrere nequit, quam si  
Germanis primaria in Republ. Romanā gubernanda com-  
mittat officia. Si enim maxumè præcipuum & omnino  
necessarium Regiminis caput est, nosse Rempubl. & Civi-  
um linguam ac mores benè cognitos habere, nullos alios  
aptiores esse opinor, quibus principalium in Republ. Ro-  
manā officiorum partes sunt concredendæ, quam Germa-  
nos, qui in eâ nati juxta ac educati sunt. Quæ omnia  
Arum. ad  
tit. 2. A.B.  
disc. 2. et ex  
eō Magnif.  
Dn. Carpz.  
de L. R. c.  
Veneti seriā aestimatione reputantes januam ad Reipubl.  
gubernationem perveniendi peregrinis penitus præclu-  
dunt. Helvetii quoque in regiminis administratione  
iisdem nullum relinquunt locum. Et apud Belgas spe- 10. p.m. 205.  
ciali jure cautum est, nè peregrini vel extranei muneribus  
publicis præficiantur.

XXV. Neutquam tamen altò silentiò hic prætereun-  
dum judico, quod vocabulum *Germani* aliter & strictius  
accipiatur, ac in lege istâ fundamentali quæ de Imperato-  
ris electione agit. In hâc enim, ut supra dictum, non  
adeò necessariò requiritur, ut in imperatorem eli-  
gendus intra Germaniæ limites natus sit, sed sufficit, si  
extra Germaniam, modò patre vel Avo paternô Germa-  
nicô prognatus fuerit. Ad illos autem, qui imperialibus  
officiis in imperio Româno sunt præponendi, strictè ac  
simpli-

simpliciter requiritur, ut in Germaniâ in lucem editi fuerint. Ad quod servandum Imperator juratâ etiam promissione se obstringere ac obligare tenetur. Hinc in capitulatione quâ imperatoria potestas velut frenis sistitur & retinaculis, hæc quoque reperiuntur verba: Wir sollen und wollen auch unser Königlich und des Reichs Aempler/ am Hoff und sonst am Reich auch mit keiner andern Nation; dann gebohrnen Teutschen die nicht niedriges Standes noch Wesens/ sondern nahmhaftige ehrliche Leut/vom Fürsten/ Graffen/Herren vom Adel/und sonst niemands/als die uns und dem Reich mit Pflichten und Diensten verwandt seyn/ bestellen etc. ubi maximè notanter illa verba sunt adjecta, mit keiner andern Nation, deum gebohrnen Teutschen/ ut præcisè requiratur & ipsa efflagitet necessitas, munib[us] ejusmodi primariis præficiendos in Germaniâ natos esse.

XXVI. Neque tamen aliquis exinde rite recteque concludit, officia publica quibusvis etiam incapacibus, ineptis & in infimâ conditione & sorte constitutis hominibus injungi posse, modo in Germaniâ natis. Hoc enim rationi & virtutibus benè imperandi minimè conveniret. Sed mens verborum istorum in terminis habilibus est interpretanda & intra certos limites acceptanda. Tales quippe Germanos intellectos volunt, qui partim stirpe vetusta ac familiâ preclarè sunt condecorati, partim insignibus suis virtutibus Nobilitatis culmen ac fastigium conscenderunt. Id quod ultima ibidem adjecta satis superque indicant verba.

XXVII. Cæterum quantum emolumenti Reipub. comitia ac conventus afferre soleant, sapienter Romulus Primus Romanorum Rex innuere voluit, quando, etsi multa alia etiam præstantissima jura senatui & populo

concessisset Majestatem redolentia, ut *Magistratus creare*,  
*leges sancire, debello decernere*, populum tamen convocandi  
senatumque cogendi potestatem sibi tantum reservavit.  
Omnis enim ferè imperii administrandi vis ac potestas <sup>31.</sup>  
penes comitia est, ita quidem, ut Reipubl. Romanæ salus  
unicō illō consiliorum præsidiō, quæ Imperator cum sta-  
tibus imperii in comitiis inire solēt, tanquam firmissimo  
stabilimenro innitatur. Hinc Veneti, qui jam diu im-  
mortalem adepti sunt gloriam, nullum sanctius atque <sup>48. p. m.</sup>  
antiquius jure Comitiorum existimabant, optimè recogi-  
tantes, in eō maxumam imperii Majestatem ac dignita-  
tem elucere. Quod itaque nobilius est, eō magis etiam  
nobilitas Germanicæ Nationis ac præminentia extollen-  
da nobis ac reliquis omnibus præferenda venit. Quæ so-  
la sibi gloriari potest, Imperatorem, antequam summā  
imperii potiatur, ex præscripto Electorum inter alia hoc  
quoque juratō pro mittente teneri, se extra fines & limites <sup>Ste. de Stat.</sup>  
Nationis & imperii Germanici nulos conventus agere <sup>Relig. l. 1.</sup>  
velle. Cum enim Electorum, qui vicem omnium sta-  
tuum obtinent, consensu locus sit determinandus, illi  
sanè partim ob multa hinc inde imminentia pericula, par-  
tim in gratiam reliquorum imperii statuum ob conveni-  
endi difficultatem extra Germaniæ limites nunquam  
conventus instituere permittent.

**XXVIII.** Cum autem Imperator promissioni datæ sa-  
tisfacere nequeat, nisi accuratè sciverit, quænam loca ac  
provinciæ pro Germanicis sint habendæ, & materiæ quoq;  
nostræ ratio illud exposcere videatur. Ideoque gravissi-  
mam istam quæstionem, *Quousq; Germaniæ fines se exten-  
dant?* annectamus necesse est. Falso harent, qui eos  
pro Germanis judicant, qui fœdere contra communes  
hostes cùm his fuerunt juncti. Nam ascititia illa Amici-

*Bertr. de  
Comitiss n.  
23.*

tiæ conjunctio, tantum robur tantamque firmitatem non habet, ut illi propterea Germanis sint accensendi. Quippe quæ, quotiescumque placuerit, mutari annihilari, & in cineres redigi potest. Imò ex illâ amicitia interdum im- placabilis inimicitia & truculentissimum bellum, ut ex- perientia quotidiana, proh dolor! satis demonstrat, exo- riri potest. Adeò, ut illa confœderatio nihil planè con- ducat, quo Polonia, Russia, Dania, NorWegia &c. quæ contra communes hostes cum Germaniâ fuerunt junctæ, inter Germanicas provincias veniant recensendæ.

*Magn. Dn.  
Carpz de L.  
R. c. s. p. m.  
120.  
Guth. l. r.*

XXIX. Neque veritatem ipsam, sed opinionem saltem ejusdem ac umbram sectantur, qui eos inter Germanos numerandos esse persuasum habent, qui à Germanis ori- ginem suam repetunt. Licet itaque Galli & Angli Ger- manos, tanquam Parentes suos vel Avos recognoscant, neutquam tamen propterea pro Germanis sunt habendi. Etsi quoque olim maxima inter Germanos, Britannos & Gallos linguæ fuerit cognatiō dialektō tantum discrepan- tis. Æquè tamen hodiernō tempore in Britanniâ, quæ Güntherus de Gallia pronunciavit, locum satis superque obtinent:

Cum simul à nostrô secessit Gallia Regno  
Nos priscum regni morem servamus, & illa-  
jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis

*Bertr. de  
comitiss  
d. l.*

XXX. Veteres tandem Geographos si consulimus, illi quidem Germaniæ fines aliò, sed eodem ferè recedenti metiuntur modò, illos Germanos proprie sic dictos statu- entes, qui in districtu à mari Balthicô versus septentrio- nem, Rhenô versus occasum, Danubiô versus meridiem & Vistulâ versus orientem degunt. Verum sicut diversæ se offerunt causæ, quæ Respubl. partim conservant atque custodiunt, partim perimunt eas ac solvunt, & ita inter- dum

dum earum faciem immutent, ut illas velut alium habitum induxisse nemo non opinari possit; Ita quoque nec h̄ic diversi generis defuēre causæ, quæ fines istos Germaniæ jam diu mutaverunt. Cum in Urbibus illud interdum contingat, ut terminos incrementi & decrementi habeant ambulatorios. Nec flumina etiam eodem semper decurrunt sinu, sed secundum diversos diversi temporis motus quandoq; latius terram fluctibus suis inundandō, interdum angustius dilabuntur. Multò magis igitur detot tantisque provinciis ad Germaniam pertinentibus asserendum erit, fines istos ac terminos supra dictos jam diu immutatos esse. Imprimis cum ultra Rhenum & Danubium multæ potentissimæ Regiones in linguam, potestatem & nomen Germanicum commigrârint.

XXXI. Quamvis autem Neotericorum Geographorum sententia suō modo non sit rejicienda, quā Germaniam à Septentrione mari Suevico, Balthicoque & Dania, ab Ortū Sarmatia Europæ & Hungaria, à Meridie Italiâ & Sabaudiâ, ab Occasu Belgio & parte Galliæ claudi existimant Nihilominus tamen in hisce dubitationibus illam arripiendam esse opinionem censeo, quæ Nationes non amplius Montium situ aut fluminib⁹ discerni statuit, sed potius ubi Mores, ingenium & Lingua secundum sapientissimum Electoris Trevirensis monitum finiuntur, ibi quoque Germanica Natio terminum suum adipiscatur. Quibus Jurisdictio etiam est adjungenda, quæ perpetuō territoriō cohœret, ut quo usque Jurisdictio imperii agnoscatur, eo usque etiam fines Germanicæ Nationis se extendant. Quæ omnia si Imperator benè probeq; observaverit in Comitiorum inductione, juramento præstito omnino satisfecisse videbitur. In quib⁹ econtra provinciis neq; Jurisdictio, neq; lingua obtinet, illæ quoq; ad Germani-

Goln. comp.  
Geograph.  
l. 2. c. 4. p.  
m. 134.

Sleid. l. 1. de  
statu relig.  
p. m. 12.

cam nationem non sunt referendæ. Ex quô patescit nec Batavos Germanos, nec Belgiam Germaniæ portionem esse, quippe quæ imperii Jurisdictionem non agnoscit, sed ab omni imperio exempta multos alios Principes potentia & divitiis superare creditur.

XXXII. Manet igitur immotæ veritatis soli Germanicæ Nationi eam præminentiam competere, quod Imperator Romanus extra limites ejusdem conventus indicare jure jurando prohibeatur. Quam prærogativam non tantum ad Comitia, quando Electores ac status imperii ad decernendum aliquid Reipubl. causa congregantur, sed etiam ad Concilia, in quibus Viri ex propriis & etiam diversis locis idonei Reipubl. Christianæ & communis omnium salutis causâ ad commodum Ecclesiæ conveniunt, extendendam judico. Cum enim maximi momenti circa placidam Religionis collationem solam Ecclesiæ utilitatem spectantiæ in conciliis pertractari soleant negotia, plenum periculosæ aleæ opus esset, ea extra Germaniæ fines instituere. Facillimè enim dolus ac impostura subesse potest, cum særissimè tam extremæ impietatis & tam desperatae pravitatis homines reperiantur, qui impedimenta hinc inde & obstacula illis afferre strenue laborent.

Sleid.l.1.de  
statu Relig  
p. m. 148.

Id.d.l. p.m.  
150.

XXXIII. Id, quod Protestantes anno 1535. accuratè pendentes in nullum planè locum à Pontifice in Italiæ electum consentire voluerunt, partim propter belli suspicionem partim propter diversę Religionis professionem. Et quamvis Pontificis Legatus ea propter gravatus objecisset: *Periculum esse in Germaniam venire, neque ibi liberè posse pronunciari*: Sapienter tamen Protestantes respondēre: *banc nimirum esse causam cur imprimis ibi conveniri oporteat, quō videlicet recte & ordine disceptentur controversiae*,

versie, & libera sint iudicia neg, per vim aut factiones absterrantur Viriboni, quod minus liberè sententiam dicant, quid autem esse queat in Germaniâ periculi, ubi Principes omnes atq; Civitates ita sunt constitutæ ut exterros ab omni injuriâ defendant & magnô studio conservent. Salus igitur & quies publica non tantum, sed ipsa etiam necessitatis lex expostulare videtur concilia intra Germaniæ fines saltem indicenda esse.

XXXIV. Ex hactenus dictis satis constare existimo, quantam præminentiam Germanica Natio in hodiernō imperii Romani statu, non tantum quoad ipsum imperium, quod ad eam translatum & sic denominatum, Imperatorem eligendum, Electores & principalissimos Officiales, qui omnes ex Germanicâ Natione ortum suum trahere debent, sed etiam quoad nobilissimum illud Comitiorum & Conciliorum indicendorum Jus, quod intra ejusdem saltem fines exerceri debet, nacta sit, & ad hodierna usque tempora integrum reservavit. Quæ ut illustrior & magis præclara evadat, atque Extranei extra omnem planè spem in imperio Romano-Germanico ponantur, graviter constitutum est, ut Literæ ac rescripta non aliò quam latīnō vel Germanicō sermone confiscantur. Hinc Imperator in capitulatione hæc quoque promittere tenetur, quando jurat: Dargu in Schriften und Handlungen des Reichs keine andere Zung und Sprach brauchen lassen/denn die Teutsche oder Lateinische Zung. Es were denn an Orten da gemeiniglich eine andere Sprach in Ubung were und im Brauch stünde/ denn alsdenn mögen wir Uns und die Unsrichen / uns derselben daselbsten auch behelfen. Quæ Constitutio sanè non minus imperii quam Nationis Germanicæ dignitatem magisque ac magis extollit.

D

XXXV.



**XXXV.** Neque imperii, quod ad Germanos translatum, Majestati aliud conveniret, quàm ut præter animum Heroicum ac virtutem Germanorum incomparabilem ipsa etiam lingua in summô colatur vigore ac conservetur. Magistratus sanè Romani inter cœtera obtinendæ gravitatis & populi Romani Majestatis causâ illud quoque magnâ cum laude custodiebant nè Græcis unquam nisi latinè responderent. Imò illos per Interpretem loqui cogebant non in Româ tantùm, sed etiam in Græciâ & Asiâ. Atque hæc ideò tam strictè observabânt, ut latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffundetur. Neque Imperator Romanus Majestatem imperii sui melius ostentare & virilius conservare potest, quàm quod in rescriptis, edictis, decretis ac responsis suis nullò alio quàm Germanicô sermone utatur. Et quare sacratissimi Imperatores Romani aliam linguam quàm Germanicam magis sibi commendatam cupient, urypote cujus tanta est dignitas & Majestas, ut cum aliis omnibus non minus de elegantiâ, quam exquisitorum & selectissimorum verborum circumductione & periodorum decenti amplitudine & tractu certare possit.

**XXXVI.** Cæterum ob perpetuam Imperii Romani ad Germanos translati memoriam latina lingua hodieque debito honore recolenda & omnibus industriæ viribus addiscenda est. Nec aliud necessitas ipsa permittit. Cum enim Romani totum ferè terrarum Orbem sub suam potestatem redigissent, animis æquè subjecere, omnem Rempubl. & Civilem societatem absque legibus ad ruinam & interitum vergere. Ideoque leges suas latinô sermone proponebant, prælegebant, in scriptum redigebant, & secundum eos Res à Procuratoribus agere volebant. Cum autem illis legibus adhuc hodiernô tempore

pore sua asseratur auctoritas, omnino latina lingua non  
floccipendenda, sed maxima diligentia excolenda est.

XXXVII. Nec est, quod mihi aliquis caput Ultimum  
Aureæ Bullæ opponere & venditare gloriosius velit, qua-  
si in eō Germanicæ linguae & per consequens Nationis  
præminentiae aliquid detrahatur, quod *Carolus IV.* jufse-  
rit, Electorū secularium filios vel heredes ac successores à 7. etat-  
tis sua anno in *Grammatica*, *Italica* ac *Sclavica* linguis instrui,  
& quidem rationem suam ac fundamentum adjiciendo,  
quod scilicet illud non solum sit utile, sed etiam summè necessa-  
rium habeatur, eō quod illæ lingue ut plurimum ad usum &  
utilitatem sacri imperii Negotia ventilentur. Verum quam-  
vis illud de isto temporis statu intelligendum esse existi-  
mem, quō adhuc provinciæ istæ in quâ sclavica lingua &  
aliæ ex eâ manantes observantur, Imperatorem Roma-  
num tanquam Caput recognoscabant, postquam autem  
imperium decrescere pedetentim ac minui cœpit, ut in  
multo angustiores terminos redactum fuerit capitulatio-  
nibus constitutum est, ut in scriptis vel actis latinum vel  
Germanicum tantum idioma usurpetur; Nihilominus ta-  
men propterea *Carolus IV.* Electorum secularium filiis  
exoticas istas linguas addiscere præcepit, quia earum  
cognitio Principis auctoritatem mirificè augere & maxi-  
mam utilitatem afferre solet. Imprimis quando Lega-  
tiones Vicinorum aliorumque audire debeat. Alias enim  
minime congruum esset & saluti publicæ conveniens,  
si ipsi semper ad interpretem quasi confugere, ejusque  
operâ in gravissimis sœpe negotiis uti, eaque ipsius fidei  
concredere necesse habent. Imò quod magis est, cum  
interdum copia alicujus interpretis non possit haberi,  
alieno interprete uti cogantur. Id' quam salutare sit  
eventus sœpe docere solet. Hæc omnia Imperator Caro-  
lus IV. gravissimâ deliberatione secum agitavit, & Electro-  
rum



QKTK 4444

rum filiis propterea exteris linguis præter teutonicam,  
Rumelin. quam in d. c. 30. præsupponit, addiscendas singulariter  
ad 1. B.c. commendavit, præprimis quia ipse easdem eruditè  
30. diff. 6. th. 18. calluit.

Atque hæc sunt pauxilla ista, quæ de Germanicæ  
Nationis in hodiernō im perii Romani statu præeminen-  
tia pro temporis ratione & ingenii mei tenuitate pro-  
ferre volui ac potui. Quanquam enim arduum omnino  
sit negotium & vires meas longissimè exsuperet, hanc  
materiam, in quantum mereri præstantia ejus ac nobilitas  
potest, dignè satis enucleare, delineasse tamen, inquan-  
tum licet & permisum est, facilè invenit excusationis co-  
lorem. Ardentissimo igitur votō finire placet, ut Deus  
omnes omnium hostium machinationes ab aris Germa-  
niæ desideratissimæ nostræ patriæ ac templis, à laribus  
ejusdem ac fortunis arcere longè ac defendere velit. Quod  
jucundissimum Pacis sidus plenam & exoptatissimam  
lucem per omnem Germaniam undique dispergere  
nunquam desinat. Faxit hæc

DEUS.

CUI SIT LAUS ET GLORIA.



FEET

Modò  
unam  
dum f  
juri p  
existir  
Ad Ju  
nere,  
præse  
bequæ  
aliisq  
apricō  
queur  
sibi ip  
prude  
diô qu  
meus  
fixum  
ascen  
præci  
atatis  
Mihi  
mate  
*Germ*  
præbe  
ipso e  
nenti  
inger  
intra  
tecto  
dentis  
here



tur. Alias si per  
constitutus non  
est. Quo circa  
invigilandum  
& alios fallunt.  
ra & hoc perti  
egere sciat, ut  
iem benè pro  
, conventibus  
resse possit, in  
atò hauriri ne  
tem, ea omnia  
se ipsam Juris  
, cum in me  
Cum itaque  
ibi habeat præ  
identiæ Arcem  
poris rationem  
aliquam saltem  
i consecrarem.  
ssimas ejusdem  
omnium Patria  
se aspectandam  
tantum, sed in  
statu præemi  
e illâ, quantum  
dissertationem  
tus sum. Pro  
nipotentem ar  
cta mea prove  
itaque

TH. I.